

vi luminis in similem motum oscillatorium concitari, eumque per totam crassitiem diaphani in recta propagari, et in altero latere demum cum aethere denuo communicari.

8. Ex praecedentibus sequitur: radios luminis ab aspera, sed compacta, superficie quaquaversus diffundi. A laevigata vero et polita superficie regulari radius maximam partem secundum certam directionem reflectetur. Exigua tamen eiusdem pars propter imperfectam polituram quaquaversus disseminabitur. Inde fit, ut ille locus in speculo, in quem radius Solis incidit, in toto ambitu illuminatus conspiciatur.

9. Datur vis quaedam omnibus ac singulis materiae cuiuscumque nobis notae particulis concessa, qua efficitur, ut, vna particula cum altera ad immediatum contactum perveniente, ambae eo fortius inter se cohaereant, quo exactius particulae inter se quadrant. Simplici hac vi cohaerendi nullus producitur motus. Quam primum vero duae particulae simul in tertiam eandem vim exercent, sed maiorem ea, qua ambae inter se cohaerent, vi hac composita motus oritur localis, tertia scilicet particula inter ambas secundum diagonalem transeunte. Motus, huiusmodi vi motrice excitatus, dicitur *attractio*, cuius existentia quidem demonstrari potest, principium vero huius vis nos latet.

10. Quoniam singulae particulae vndae luminosae aliquam eius longitudinis partem eundo et redeundo percurrunt (n. 6.) incidente radio luminis in diaphanum cuius densitas et vis attractiva in radium densitatem et vim attractivam medii praecedentis superat, radius luminis duplici vi agitur, prima, secundum pristinam directionem undulationes suas prosequendi, altera, vi diaphani attractiva secundum perpendicularum in ipsum agente. Hinc radii *celeritas*